

Martyrum visitandis, diebus præsertim dominicis et festivis. Et Constantinus (ut Ruffin. refert, l. 3 Hist., c. 33), ante Martyrum et Apostolorum thecas, jacebat cilicio prostratus. Hinc etiam Chrysostomus, hom. 66 ad Popul., circa finem, inquit: *Christi servorum sepulcra regis aulis sunt clariora, non ædificiorum magnitudine, licet in hoc etiam superent, sed (quod multo majus est) convenientium studio.* Hinc denique reliquiarum contemptus in injuriam Sanctorum redundat, propter quod etiam earum venditio sacrilega et simoniaca censetur, cap. Cum ex eo, de Reliquiis et veneratione Sanctorum, et tradunt jurisperiti, in c. Quisquis, 17, q. 4.

5. *Dubium.*—*Reliquiæ Sanctorum quo modo absolute, et sine conditione adorari possint.*—Sed quæret aliquis hoc loco, an hujusmodi reliquiæ absolute adorandæ sint, vel tantum sub conditione. Et ratio dubii est, quia plurimum sunt incertæ; unde, si absolute adorentur, periculum est ne falsæ pro veris adorentur; ad vitandum ergo periculum, oportet conditionem apponere. Exemplo confirmari hoc potest, nam, cum alicui, per modum revelationis, species Christi Domini ostenditur, non debet illam absolute adorare, sed solum sub conditione, ne exponat se periculo pro Christo adorandi Satanam transfiguratum in angelum lucis; ergo similiter, etc. Respondetur distinctione et prudentia opus esse. Aliud est enim loqui de publico et solemniter ritu seu honore reliquiarum, aliud de privato et singulari devotione alicujus personæ. Ut enim aliqua reliquiæ publice ab universa Ecclesia colantur, primo, necesse est ut de sanctitate personæ, vel per universalem Ecclesiæ consensum seu traditionem, vel per summi Pontificis canonizationem constet. Deinde oportet ut publica auctoritate reliquiæ proponantur ut veræ, et ad talem personam pertinentes; hæc autem auctoritas est apud summum Pontificem et Episcopos, qui sufficientem diligentiam ante approbationem adhibere tenentur. Et quamvis hærum reliquiarum non sit æqualis certitudo (aliæ enim sunt antiquiores aliis), tamen, supposita dicta approbatione, absolute adorari possunt absque explicita conditione, tum quia in rebus humanis non est major certitudo requirenda, et periculum formalis erroris, ut ita dicam, nullum est, cum in ratione formali adorandi non possit esse error, in qua ratione virtute continetur conditio errorem excludens; tum etiam quia si interdum materialiter erretur, nulla

erit culpa, cum bona fide et prudenti modo procedatur. Et pie credendum est non permissurum Deum hujusmodi errorem in hoc publico cultu. Quod si interdum videtur intercedere aliquis error, non tam est in substantia rei adoratæ quam in aliqua conditione. Ut, verbi gratia, corpus ejusdem Sancti interdum in diversis locis esse existimatur, et in eis solemniter honoratur; id tamen accidere potuit, vel quia in utroque loco est aliqua pars illius corporis, et a parte totum nominatum est. Ait enim Theodoret., lib. 8 ad Græcos, nullibi fere reperiri integrum alicujus Sancti corpus, propter fidelium devotionem. Vel certe causa interdum esse potuit, quia Sancti fuerunt ejusdem nominis, et successu temporis utriusque reliquiæ ejusdem personæ existimatæ sunt, et propter nominis ambiguitatem, illi attributæ, qui majoris habetur gloriæ et sanctitatis. Quod in capite Joannis Baptistæ suspicior accidisse. In diversis enim Ecclesiis esse dicitur; qui tamen error non tam est in substantia, quam in conditione rei adoratæ; satis est enim ut sine errore certum sit illas esse alicujus Sancti reliquias.

6. At vero, ut reliquiæ privatim coli possint, sufficit privatim etiam testimonium virorum fide dignorum, vel alia ratio aut conjectura ita probabilis, ut sufficiens sit ad prudens iudicium ferendum. Neque enim in hoc actu major certitudo exigenda est, quam ad aliarum virtutum actus exercendos, et ideo tunc etiam non oportet conditionem aliquam explicare, quia proprie nullum est periculum erroris, ut explicatum est. Quando vero res est dubia et incerta, tunc quidem abstinendum est a cultu, non tamen reliquiæ conculcandæ sunt et contemnendæ, sed separatim custodiendæ. Et per hæc patet responsio ad rationem dubitandi.

7. Ad exemplum vero respondetur, frequentius verum esse quod in eo sumitur, ut docet Bonavent., in 3, d. 9, a. 1, q. 6; Marsil., quæst. 8, a. 2, dub. 5. Quia veritas personæ, quæ in revelatione apparere videtur, difficilius cognoscitur, et ideo, moraliter loquendo, res est valde incerta, et quoad hoc non est simile illud exemplum. Si tamen bona fide aliquis procedat, et sufficientem faciat diligentiam ad discernendos spiritus, et tandem prudenter iudicet revelationem esse a bono spiritu, potest simpliciter adorare sine periculo erroris, tum quia bona fide et prudenter operatur; tum etiam quia formaliter tota

adoratio tendit ad personam vere sanctam; ad formam vero seu speciem apparentem, solum quatenus vel illa persona est, vel illam representat.

8. *Dubium.*—*Responsio.*—*Sanctorum reliquias, privatim possessas, secum devotionis gratia portare licitum ac pium.*—Ultimo tandem quæri potest, an liceat reliquias, quæ privatim possidentur, devotionis gratia secum ferre. Angelus enim, verbo Reliquiæ, negat, argumento capituli Corpora, de Consecr., dist. 1, ubi præcipitur ut reliquiæ de loco ad locum non transferantur sine Episcopi licentia. Cui addere possumus Concilium Bracharense III, cap. 5, ubi reprehendit Episcopos qui, in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri, reliquias collo suo imponebant. Respondetur tamen sine ulla dubitatione, illud esse licitum et pium, ut D. Thomas docet, 2. 2, q. 96, a. 4, ad 3; Anton., 3 par., tit. 12, c. 8; Sylvest., et Armil., verbo Reliquiæ; et Navar., in Sum., c. 14, n. 33; et piorum usus hoc satis confirmat. Ratio vero est, quia hoc non est per se malum, cum ex devotione fiat propter venerationem Sanctorum et utilitatem fidelium, et nullam indecentiam vel malitiam per se conjunctam habeat. Neque etiam est malum quia prohibitum. Nulla est enim lex ecclesiastica quæ hoc vetet. In illo enim capite Corpora, non est sermo de hac re, sed de translatione reliquiarum, ut per se constat. Concilium autem Bracharense reprehendit Episcopos, qui propter majorem fastum, et hominum gloriam id faciebant, ut super humeros Levitarum in sellulis portarentur. Unde infra subdit: *Quod si Episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse a diaconibus in sella vehatur, sed una cum populis progrediatur.*

DISPUTATIO LVI,

In tres sectiones distributa.

DE USU ET ADORATIONE CRUCIS.

Quoniam D. Thom. de cruce specialiter disseruit, ideo disputationem hanc superioribus adjungimus, quamvis ejus doctrina eadem fere futura sit. Eam tamen in ultimum locum reservavimus, quia duplex potest esse crucis consideratio. Prima, quatenus est reliquiæ Christi, ejus tactu et sanguine consecrata, quæ solum habet locum in ea cruce in qua Christus pependit, et in omnibus ejus partibus, etiam si in figura crucis non sint;

extendi autem potest ad clavos, columnam, sepulcrum, et alias Christi reliquias. Secunda consideratio est per modum imaginis, quæ potissimum locum habet in omni cruce, quæ ex permanenti materia conficitur. Addi vero potest tertia consideratio crucis, per modum cæremoniæ cujusdam, ut quando motu, seu actione successiva nos ipsos, seu res alias signo crucis, veluti quadam successiva imagine signemus seu sanctificamus. De his igitur breviter dicendum est.

SECTIO I.

An lignum crucis, in quo Christus pependit, sit adorandum latría.

1. *Cruci, aliisque passionis Christi insignibus, adoratio debita.*—Omissis hæreticorum sentiis, qui de cruce Christi nihil aliud quam de cæteris reliquiis opinantur, dicendum est primo, lignum crucis in qua Christus pependit, adorandum esse, idemque de spinis, clavis, aliisque reliquiis Christi sentiendum esse. Conclusio est de fide, ut ex supra dictis satis constat, tanto evidentius quanto plures sunt majoresque causæ ad has reliquias venerandas. Primo, quia eis armis vicinus dæmones, nostramque salutem comparavimus in Christo, ut notavit Origen., hom. 8 in Josue, ad hanc rem accommodans illud, ad Coloss. 1: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, quæ in celis et quæ in terra sunt;* et c. 2: *Spolians principatus,* usque ad illud: *Affigens illud cruci;* et ad Eph. 2: *Ut reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem.* Secundo, quia hæc crux fuit veluti sacrum altare, in quo Christus cruentum sacrificium obtulit, ut significatur ad Hebr. 7. Fuit etiam via per quam Christus incedens, ad suam exaltationem pervenit, ut Joan. 3 et 12, et ad Philip. 2, significatur. Denique tactu carnis et sanguinis Christi consecrata fuit. Unde Damasc., l. 4, c. 12: *Hoc lignum, inquit, venerandum, et ex tactu sancti corporis et sanguinis sanctificatum, optimo jure adorari debet, clavique item, et lancea, et indumentum, ac præsepe;* et ad crucem accommodat illud Psalm. 131: *Adorabimus in loco ubi staterunt pedes ejus. Nam crucem ibi intelligi, argumentum, inquit, est id quod sequitur: Surge, Domine, in requiem tuam; comes enim crucis est resurrectio.* Hieron., 1 tom., ep. 17 ad Marcel., ut migret in Jerusalem, nomine Paulæ et Eustoch., circa med.: *Venerabatur, inquit, Judæi propitiatorium; nonne tibi ve-*

nerabilis videtur sepulcrum Christi, quod quotiescunque ingredimur, jacere in sindone cernimus Salvatorem. Habet etiam multa, ep. 13 ad Paulinum, de institutione monachorum. Et in epitaphio Paulæ, laudat illum quod præsepe adoravit. Quod etiam se fecisse affirmat, apolog. 3 contra Ruffin. Idem docet Cyrill. Hierosol., ep. quadam ad Constantium imperatorem, et catech. 10, et 13, dicit totum mundum repletum fuisse particulis illius crucis ob devotionem. Chrysostom., hom. Quod Christus sit Deus, t. 5: *Tanta*, inquit, *veneratione lignum illud habetur, ut qui parum ex illo habere possunt, auro includant, et cervicibus imponant.* Idem de inventione crucis, homil. 84 in Joan.; Gregor., l. 7, ep. 126, ad Recaredum, Hispaniæ regem, crucem mittit auream, particulam crucis lignæ includentem. Confirmant denique miracula per crucem facta; nunc sufficiant quæ in inventione et exaltatione crucis acciderunt. De quibus lege Ruffin., l. 1, c. 7 et 8; Nicephor., l. 8, cap. 29; et Sever. Sulpit., l. 2 sacræ histor., post med., 1 tom. Bibliot. sanct.; Simonem Metaphr., in vita Helenæ.

2. *Objectio.* — Sed contra primo, quia filius, qui patrem amat, non solum non adorat, sed nec etiam libenter videt patibulum aut gladium quo pater interfectus aut supplicio affectus fuit. Secundo, solus contactus non est sufficiens adorationis fundamentum, alias terra, asina, imo et sacrilega manus, quæ Christum percussit, adoranda esset. Adde etiam omnia quæ Christus vidit, quia sicut videri est extrinseca denominatio, ita et tangi. Tertio, esto adorari posset crux, quando Christus in ea actu pendebat, non vero separatione facta. Inquit enim Augustinus, serm. 58 de Verbis Dom.: *Purpuram conjunctam regi simul cum ipso adoro; si vero separetur, jam non meretur honorem regis.*

3. *Responsio.* — Argumentum primum recte dissolvit D. Thom., art. 4, ad 1. Non enim adoramus crucem, ut illa usi sunt Judæi ad injuriam et pœnam Christo inferendam, sed ut ab illo sanctificata est, eique gloriam et exaltationem attulit, et eodem modo pius et fidelis filius veneratur gladium, quo pater suus, non ut malefactor, sed ut innocens martyr occisus est, et per mortem ad æternam gloriam translatus.

4. Ad secundum respondetur, primo, contactum Christi per se quidem sufficientem rationem adorationis esse; sæpe tamen non expedit uti hac adoratione, vel quia non decet,

vel quia res adoranda valde incerta est, vel cum aliis rebus necessario conjuncta, quæ ad communes usus humanos deputatæ sunt; præsertim vero manus illius qui Christum percussit, adoranda non fuit, sed execranda, non solum quia tactus ille, ut fuit actio talis personæ, gravissimum peccatum fuit, sed etiam quia erat membrum iniquissimæ personæ. Unde, cum persona sit quæ per se primo adoratur, non debuit pars illa adorari, ne in talem personam veneratio redundaret. Denique non est eadem ratio de alia extrinseca denominatione, quæ realem conjunctionem non requirit, ut est videre, quia ex illa nulla propria moralis habitudo resultat, neque illa res efficitur aliquo modo quasi propria Christi. In contactu vero, aliqua realis conjunctio intercedit, et quidam usus ad proprias actiones et passiones, et ideo non est similis ratio.

5. *Dubium.* — Ad tertium, patebit ex solutione sequentis dubii. Dubitari enim potest de qualitate, et specie hujus adorationis. Nonnulli enim illum vocant *hyperduliam*. Ita loquitur D. Thom., in 3, dist. 9, quæst. 4, a. 2, quæstion. 4; Marsil., q. 8, a. 2; Henri., Quodlib. 10, q. 6. Alii dicunt esse latrariam perfectam, qua Christus ipse colitur. Ita loquitur D. Thomas hic, quem omnes discipuli ejus sequuntur; et Anton. Cordubens., qui alios refert dicto lib. 1 Quæstionum Theol., q. 105.

6. *Responsio.* — *Adoratio crucis debita qualis.* — Dicendum vero est, distinctionem supra in genere datam de reliquiis, ad crucem et alias Christi reliquias esse applicandam. Itaque, si lignum crucis adoretur, ut mente et cogitatione conjunctum ipsi Christo, adorandum est perfecto actu latrariæ, qui per se primo ad Christum, concomitanter vero et quasi par accidens ad lignum terminatur; et hoc modo locutus est D. Thomas hic; et D. Hieronymus supra citatus dicens: *Quotiescunque sepulcrum Christi ingredimur, jacere in sindone cernimus Salvatorem.* Si vero hæ reliquiæ adorentur ut tota materia adorationis, adoratio quidem erit respectiva propter excellentiam Christi, minus tamen perfecta quam sit illa, quæ Christo propter se debetur. Et ita intelligitur dictum Augustini supra citatum. Et hanc fortasse vocavit D. Thomas *hyperduliam*. Quanquam revera ab eodem habitu procedat, quo Christus ipse colitur, juxta generalem doctrinam supra traditam. Et hæc fere distinctione, quamvis diversis verbis, utuntur Bonav., d. 9, a. 1, q. 4, et Richar., a. 2, q. 3.

7. Et juxta eandem optime intelligitur locus Ambrosii, orat. de Obitu Theodos., ubi inter multa alia notatu digna, quæ de crucis adoratione tractat, agens de Helena, Constantini matre, sic inquit: *Invenit titulum, regem adoravit, non lignum, quia hic gentilis est error; sed adoravit illum qui pependit in ligno.* Ubi loquitur de perfecta adoratione latrariæ, et absoluta, et de re per se primo adorata; non vero negat crucem concomitanter vel respective adorari posse. Unde infra subdit: *Sapiens Helena, quæ crucem in capite regum levavit, ut crux in regibus adoretur; non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur sacra redemptioni;* et infra: *Ecce et clavus in honore est, ferro pedum ejus reges inclinantur.*

SECTIO II.

Utrum crucis imago retinenda sit et adoranda.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia crux non representat aliquam personam sacram, sed solum eam crucem in qua Christus pependit; ergo non est in ea sufficiens ratio ob quam adoretur. Alias etiam clavus, vel flagellum et similia adorari possent, quatenus representant alias res similes, quibus Christus supplicio affectus est; imo quælibet ligni particula, quatenus representare potest similem partem veræ crucis Christi, adoranda est. Propter hanc fortasse causam, præter hæreticos supra citatos, Ægidius Hispanus negavit crucem esse adorandam, qui propter hunc et alios errores Hispani damnatus est.

2. *Crucis erectio signum expulsæ idololatriæ.* — *Crucis dignitas et veneratio.* — Dicendum est ergo usum crucis per modum imaginis Christi crucifixi, quam Catholica Ecclesia semper tenuit, honestum et religiosum esse. Hæc veritas de fide est, definita in VI Synodo, can. 73; VII Synodo, act. 7; VIII Synodo, can. 3. Quæ potissimum apostolica traditione fundata est, de qua legi potest Leo Papa, serm. 8 de Passione; Iren., l. 1 contra hæc., c. 24; Tertul., in Apolog., c. 16; Chrysost., serm. 1 et 2 de Adorat. crucis; optime Ambrosius, serm. 56: *Sicut navis, inquit, sine arbore, ita Ecclesia sine cruce stare non potest;* et infra: *Ubi signum crucis erigitur, statim et diaboli iniquitas effugatur.* Unde factum est ut, cum alicubi Evangelium de novo prædicatur, primum signum introductæ fidei et expulsæ idololatriæ, sit crucis erectio. Quod nostris temporibus observari videmus, et tempore etiam Constantini Magni singulari

Dei providentia factum legimus. Statim enim ac Constantinus fidem accepit, Romanorum vexillum in Christianorum crucem mutavit, ut Nazian. refert, orat. 3, n. 27; et Euseb., l. 1 de Vita Constantini; Sozomen., l. 1 Hist., c. 4; Nicephor., lib. 7, capit. trigesimo septimo, 47 et 49. Addunt etiam Euseb. supra, l. 9 Histor., c. 9 et 10, et Niceph. supra, et l. 8, c. 3, idem signum crucis Constantino in cælo apparuisse, eumque securum de victoria contra Maxentium reddidisse, ideoque illud in fronte sua posuisse. Nec dissimile est quod Prosper refert accidisse Arcadio imperatori, lib. de Prædicationibus et promissionibus Dei, p. 1, c. 34, ubi inquit propter hanc causam Arcadium aureos nummos cruce consignari præcepisse. Confirmatur hæc traditio. Quia constat ex historiis, ante mille ducentos annos, fuisse in Ecclesia consuetudinem deferendi in publicis processionibus crucem argenteam inter cereos accensos. Quam consuetudinem defendit Cyril., l. 6 contra Juli., circa princ., et referunt Soz., l. 8, c. 18; et Socr., l. 6, c. 8. Denique ante Passionem Christi data sunt signa et figuræ crucis ejus, non solum in Scriptura sacra, ut per se constat, et late congerit Jonas Aurelian., l. 1 de Imagin., in fine, et l. 2, in princip.; sed etiam inter Ethnicos, ut de Ægyptiis referunt Nicephor., l. 12 Hist., c. 26; et Ruffin., l. 2, c. 29; quid ergo mirum quod Ecclesia Catholica imaginem crucis semper retineat? Præsertim cum, Matth. 24, de die judicii legamus in eo apparituum signum filii hominis, id est, crucem, ut Christi vexillum ab omnibus adorandum, ut exponit Chrys., hom. 87 apud Matth., qui dicit futuram illam crucem sole splendidiorem, obscuratur enim sol, et crux apparet. Quæ fuit etiam sententia Damasceni, l. 4 de Fide, c. 12 et 17, et orat. 1 de Imagin.; August., serm. 130 de Temp., circa finem; Hippolyti, orat. de Consummatione mundi, tom. 7 Biblioth.; Hieron., et aliorum, quos refert Waldens., t. 3 de Sacramental., c. 158, ubi ex Chrysost., homil. de Cruce et latrone, dicit illam crucem, quæ in die judicii apparebit, futuram esse illam eandem in qua Christus pependit, quod pium est, sed incertum.

3. *Adoratio crucis qualis.* — Ex quibus satis constat, hoc crucis signum merito in Ecclesia adorari; est enim res sacra, et ad divinum cultum spectans. Propter quod merito Sedulius cecinit: *Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam.* Et Rupert. Abb., lib. 6 de Divin. Offic., c. 9 et 21: *Adoramus* (inquit)

crucem fidei praesidium, pacis vexillum. Unde, quod ad modum adorationis attinet, nulla difficultas est, quin per modum rei sacrae ad honorem Christi pertinentis, coli possit adoratione respectiva et secundaria, sicut de aliis rebus sacris et imaginibus explicatum est. Deinde, si in ipsa cruce imago Christi depicta seu affixa sit, non est dubium quin adorari possit cultu latria, vel potius coadorari simul cum ipso Christo. Denique etiam si nulla alia hominis figura, sed tantum crucis in illa appareat, eodem modo et respectu adorari potest. Quia hujusmodi crux etiam per se sola representat non solum aliam crucem, sed etiam Christum ipsum per modum crucis extensum. Et in hoc (ut ad rationem dubitandi in principio positam respondeamus) magna differentia est inter crucem, et clavum, lanceam, etc., quia sola crux est figura ipsius Christi, et ideo imago crucis, quae etiam est imago Christi, adorabilis est, non vero imago clavi, aut lanceae, ut D. Thom. hic, art. 4, ad 3, docuit. Et Athanas., seu auctor Quæst. ad Antiochum, quæst. 16, ubi aliam rationem indicat, scilicet, quia crux facile ostendi potest adorari propter figuram, non propter materiam. Quia si duæ partes ejus separentur, non adorantur. Quod tamen in lancea, aut clavo, non tam facile constat. Quæ ratio non magni ponderis esse videtur.

4. *Differentia quoad cultum inter crucem et reliqua passionis Christi insignia.* — Ex differentia vero quam D. Thomas posuit, oritur alia, quæ ad rem maxime pertinet; nam inter Christianos propria figura crucis semper habet usum sacrum et religiosum; clavus autem et lancea, et aliæ res similes ordinarie non ad significandum, sed ad humanos usus assumuntur. Unde fit, si hæc interdum depingantur ad Passionem Christi representan-

quo vide Euthy., 2 p. Panopl., titul. 20, circa med.; et S. Nicon., in lib. de Religione Armenor., tom. 1 Bibliot. sanct.; et plura apud Alan., dialog. 4, præcipue c. 11, ubi explicat legem Theodosii, qui prohibuit ne crux depingeretur in pavimento.

SECTIO III.

Utrum liceat uti signo crucis in modum cæremoniaæ sacrae.

1. *In crucis signo et usu quanta utilitas et religio.* — Respondetur, hoc crucis signum, ejusque usum multis rationibus religiosum esse, fidelibusque utilissimum. Hæc est certa veritas fidei, quam universalis Ecclesiæ consensus, et ratio fide illustrata evidenter ostendit. Primo enim usus signi crucis quædam est Christianæ fidei professio. Unde Augustinus, Psalm. 144, exponens illa verba: *In via hac qua ambulabam: Usque adeo, inquit, de cruce non erubescio, ut non occulto loco, sed in fronte eam ponam; insultet ille crucifixo Christo, videam ego in frontibus regum crucem Christi.* Profitemur ergo hoc signo, Christi crucem amplecti, et illius virtute sanctificari, muniri et defendi. Secundo, hinc factum est ut in omnium sacramentorum administratione signum crucis adhibeatur, ut Dionys. tradit, c. 4, 5 et 6, de Ecclesiastica Hierarch.; et August., serm. 181 de Tempore, cap. 3.

2. *Crucis signum terror dæmonum.* — Tertiò virtutem habet contra dæmones, ut Chrysost. tradit, hom. 21 ad Populum: *Crucem, inquit, fronti imprime, sic enim nec ipse diabolus lædere poterit.* Idem hom. 55 Matt., unde Hieronymus, ep. 4 ad Eliod.: *Intus, inquit, est hostis, expedito rudentes, vela suspendite, cruce antennæ figatur in frontibus.* Et Lactant., l. 4 de Vera sapientia, c. 27, dicit hoc

objiciebant apud Lactant., loco cit., sed potius ideo odio habent, quia virtutem ejus sentiunt, ut eleganter docuit Augustinus, l. 83 Quæstionum, q. 79, ubi de sacramentis et signis sacris Christianorum in genere loquens, inquit: *Nec mirum est quod hæc signa valent, cum ab eis (id est a malis Christianis) adhibentur; quando etiam, cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi imperatoris valent.*

3. *Cruæ Christi armatura fidelium.* — Eadem ratione et modo valet hoc signum crucis ad impetrandum aliquid a Deo. In cujus figuram Moysis oratio tunc a Deo populi victoriam impetrabat, quando in crucis figura manus ad coelum levabat. Ita enim interpretantur locum Exod. 17, Nazian., orat. 6, coram Greg. Nyss.; Prosp., l. de Prædicationibus et promissionibus Dei, part. 1, c. ult.; Aug., in Orat. de quinque hæresibus, c. 2; Chrys., orat. 2 ex decem Græcis, quæ nondum latinæ factæ sunt. Unde S. Martial., ep. ad Burdegal., tom. 1 Bibl. sancti.: *Crucem, inquit, semper mente, ore, et signo tenete, cruce enim Domini armatura nostra est.*

4. Quinto, hinc factum est ut ex honorum omnium fidelium consuetudine, signum crucis ad suas actiones præmittant. Sic Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4 et 13: *In omni negotio, comedens, bibens etiam, signa te in fronte.* Hier., ep. 22 ad Eustoch., de Custodia Virginit.: *Ad omnem actum, ad omnem incensum manus pingat crucem.* Similia habet Tertull., l. de Corona militis, c. 4; Orig., l. 3 in Job., col. 12, dicit, *cibum et potum signo crucis esse benedicenda.* Hanc denique inter traditiones non scriptas, refert Basil., lib. de Spirit. Sancto, c. 27; et Anast. Nicæn., lib. Quæstionum sacrae Scrip., q. 89, tom. 6 Bibliot.; eamque contra Julianum defendit Cr-

tionis, juxta ea quæ de imaginibus et de nominibus sacris diximus, explicandus est.

QUESTIO XXVI.

DE EO QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de hoc, quod dicitur Christus Dei et hominum mediator. Et circa hoc quærentur duo.

Primo, utrum esse mediatorem Dei et hominum sit proprium Christo.

Secundo, utrum hoc conveniat ei secundum humanam naturam.

Hanc quæstionem addidit hoc loco D. Thomas, solum ut hanc *mediatoris* appellationem explicaret. Breviter autem eam expedit, quia, licet nomen diversum sit, res tamen, quæ per illud significatur, non est alia ab iis quæ in superioribus explicata sunt. Et ideo de re hac specialem disputationem non instituemus, sed solum, D. Thomæ litteram explicando, propriam hujus vocis significationem et usum ostendemus.

ARTICULUS I.

Utrum esse mediatorem Dei et hominum, sit proprium Christo.

1. *Ad primum sic proceditur. Videtur quod esse mediatorem Dei et hominum, non sit proprium Christo. Sicut enim sacerdos, ita et Propheta videtur esse mediator inter Deum et homines, secundum illud Deut. 5: Ego illo tempore sequester fui, et medius inter Deum et vos. Sed esse Prophetam et sacerdotem, non est proprium Christo. Ergo nec esse mediatorem.*

2. *Pariter illud quod dicitur: Annuntia-*

tiis, non est proprium Christo. Ergo nec esse mediatoris.

3. *Ad id quod dicitur: Christus Dei et hominum mediator, non est proprium Christo. Ergo nec esse mediatoris.*

4. *Ad id quod dicitur: Christus Dei et hominum mediator, non est proprium Christo. Ergo nec esse mediatoris.*